

nostrum ac Lugdunensium, ut in c. *fin. de pen. & remiss. lib. 6.* quam Viennensium, ut in clem. *abusivis*, eod. tit. posterioribus temporibus reddita fuerunt inania; & eorum malitia ita quotidie excrevit, ut de eorum emendatione nulla spes relicta videatur. Indulgentias vero per Ordinarios locorum adhiberi duobus de Capitulo, debitis temporibus publicandas esse decernit: quibus etiam datur facultas elemosinas atque oblata sibi charitatis subsidia fideliter colligendi, nulli prorsus mercede accepta.

Porro san. mem. Pius V. & Gregor. XIII. ex sententia S. Congregationis Concilii statuerunt scribendas literas in hanc sententiam locorum Ordinariis: in quorum Diocesi hospitalia reperiuntur, ut eas elemosinas, quae pro usu DD. hospitalium, in quibus hospitalitas actu exercetur, dabuntur infra fines civitatis & ejus Diocesis tantum colligi permittant, petita tamen ab ipso & obtenta in scriptis & gratis licentia, quae sane danda videtur, cum in eodem hospitali, sicut asserit curari soleant pauperes omnes & morbo laborantes, utpote S. Antonii, qui ex tota ista Diocesi adducuntur; dummodo persone, quae colligent, honesta vix, & spectatae Religionis sint, suoque judicio approbatae, ac minime propter hanc operam participes dictarum elemosinarum, atque hoc munere citra ullum dolum, etiam omni modestia & dexteritate fungantur; quorumque nomen nullo modo gerant, sed simpliciter elemosinarum collectores nuncupentur, non secum ferant sua privilegia nec reliquias, non minis, ut infucationibus inducant fideles ad elemosinas, non campanellam, aliaque similia instrumenta quorundam quosdam insignia ad excitandas personas pulsent (collectores tamen S. Antonii fuit campanella concessa) cujus usus soli Religioni S. Antonii a Sede Apostolica fuit concessus, non petant tanquam debitum, aut solum, neque ulla arte, etiam praetextu dicendi orationem S. Antonii, vel cujusvis alterius Sancti aut aliter extorqueant pecunias, vel alia bona, sed simpliciter, pie & modestè petendo elemosinas pro sustentatione dierum hospitalium, accipiant tantum, quod sibi sponte offeratur, vel super his elemosinis ullam quovis nomine conventionem faciant, etiam in utilitatem ipsorum hospitalium. Mox adjugetur, ut diligenter Episcopus animadverteret, ut haec omnia praecise observentur, atque non solum ad delationem aliorum, sed ex suo etiam iure officio inquirere si qua fraudes praesertim adversus leges praescriptas in eis committerentur ab ipsis collectoribus, quos si verè reos comperit, puniret publice pro modo culpe arbitrio suo, eosque statim amoveret; atque alios, qui boni & idonei sint ab eisdem superioribus sufficerent curare.

Ad haec censuit S. Congregatio Decretum, d. cap. 9. *sess. 21.* Non prohibere collectionem elemosinarum quam Monachi Ecclesiae sub invocatione S. Antonii quot annis tempore ritatis faciunt pro ipsorum subventionem, nec etiam Praebiteros qui accedunt ad accipiendas primitias frugum, sive animalium, quae offerri sponte solent devotionis erga. Item nec fratres Ordinum Mendicantium quominus mendicent & elemosinas quaerant, elemosinarumque nomine triticum & vinum tempore messium & vindemiarum quaerant; sic etiam dicendum de aliis rebus. Et hic iunge quae scripti, in c. *Tuarum in 2. notab. supra de privileg.*

Rursum cum fuerit questum, an Cruciatam oblatam, quominus Religioni Sancti Antonii liceret colligere elemosinas formam à Sacra Congregatione praescriptam: responsum est non oblatam, sed referendum Sanctissimo, qui probavit Congregationis sententiam, dum agatur de simplici collectione elemosinarum pro illis hospitalibus, in quibus actu exercetur hospitalitas.

Ceterum Indulgentias à Sede Apostolica concessas, pro quibus consequendis manus sunt porrigendae adjuvantes & quae questuandi facultatem quomodolibet continent, generaliter, ac perpetuo revocavit Pius V. & praetextu Indulgentiarum & facultatum sine speciali licentia Sedis Apostolicae questas fieri prohibuit, ut in sua Constitut. 30. quae incipit, *Et si Dominici* in Ballar. tom. 2. pag. 214. & in proposito vide alium ejusdem Pontificis Constitutionem, *Quam plenum sit*, quae in ordine est 99. eodem, tom.

2. pag. 304.

Præter Conventuales Sancti Francisci etiam degentes in Abbacia, seu Monasterio Sancti Viti Polignanensis Diocesis, quae quidem Abbacia Conventus SS. Apostolorum Urbis unita est, consueverunt per quodecumque personarum genus colligere elemosinas non modo in civitate, ac Diocesi Polignanensi, sed in universa fere Apulia, atque huiusmodi elemosinas non cedunt solum beneficio Ecclesiae Sancti Viti, sed in augmentum quoque reddituum dicti Conventus SS. Apostolorum.

Quærit Episcopus Polignanensis an possit tuto conscientia permittente, ut dicti Regulares pergant in hac quasi possessione questuandi. Et quoad hoc jam censuit S. Congregatio fratres Mendicantes ex Decreto Concilii *cap. 9. sess. 21.* non prohiberi quidem elemosinas quaerere, sed tamen non posse alios eorum nomine & autoritate quomodocumque quaerere & in casibus contingentibus scriptis respondere dictos regulares per seipsum tantum posse elemosinas colligere & probatur, in c. *Tuarum supra de privileg.* & ibi dicit, in 2. notab. post Butr. num. 1. & Anchar. num. 1.

Verum quia Regulares dicti conventus obijciunt, quod sine dictis elemosinis per alios questus vivere non possunt, cum Abbaciae redditus non excedant valorem quadringentorum ducatorum, & omnes applicentur Conventui Sanctorum Apostolorum, deliberandum videtur, an sit illis concedenda facultas quaerendi elemosinas per alias Dioceses ad aliquod tempus de Ordinariis licentia & cum conditionibus solitis praescriptis in litteris S. Congregationis.

Ad haec piorum elemosinis in Cathedrali Polignanensi jamdiu constructa est Capella in honorem Sancti Viti, in qua brachium ejusdem Sancti asseritur.

Pro conservatione & usibus necessariis dictae Capellae Praebiteri Ecclesiae de Episcopi consensu & autoritate soliti fuerunt hucusque colligere elemosinas.

Regulares vero negant id eis licere, tum quia illud Brachium Sancti Viti ad ipsorum Monasterium ipsorum & in d. Capella non asseritur nisi gratia depositi, vel custodit. Super quo lis pendet propediem expedienda. Tum quia id cedit in grave praedictum dicti Monasterii, quod majori parte elemosinis sustentatur.

Tum denique quia ipsi intendunt suppeditare necessaria ad usum dictae Capellae quoad in ipsa dicta reliquia asseruntur, dicuntque hanc questuorum multipliciter in diversis Diocesis esse non posse absque consensione & scandalo.

Episcopus, qui asserit hanc elemosinarum collectionem esse necessariam pro dicta Capella sustentatione, itidem consulti Sacram Congregationem: an sibi liceat in dicta quasi possessione perseverare & faltem pete facultatem pro aliis Diocesis juxta formulam litterarum Sacrae Congregationis. Alias censuit Sacra Congregatio nomen & usum questuorum esse penitus à Concilio sublato, sed tamen pro piorum locorum necessitatibus non esse prohibitum elemosinas colligere. Sed qui quaerentes, facile hac facultate abutuntur, possent fortasse concedi Episcopo litteras in forma consueta ad aliquot annos pro aliquibus Diocesis, ac de Ordinariis consensu.

Itaque ad primum dubium videtur respondendum praedictos fratres tanquam Mendicantes nequaquam esse prohibendos elemosinas colligere, dum tamen si extra Diocesis Polignanensem quaerere voluerint, suorum Superiorum licentiam ostendant loco ordinario, atque illius consensum obtineant, quemadmodum & alia Congregatio respondit. Ceterum nullibi esse permittendum, ut elemosinas quaerant per alios, quam sui Ordinis fratres.

Ad secundum, Episcopo licere quidem in sua Diocesi, atque etiam in aliena de Diocesis consensu per personas spectatae probitatis, ac fidei, suoque judicio delegandas elemosinas quaerere pro Ecclesiis, Capellis, ac locis piis huius Diocesis, quae ipse pro sua prudentia & Pastoralis sollicitudine ejusmodi elemosinarum praesidio magis indigere arbitrat. Et ita meo tempore ad utrumque dubium fuit responsum.



DE POENITENTIIS ET REMISSIONIBUS

Gregorius IX.

CAPUT XVI.

NE pro dilatione poenitentiae periculum imminet animarum: Permittimus Episcopis & aliis superioribus, necnon minoribus Praelatis exemptis, ut etiam praeter sui superioris licentiam, providum & discretum sibi possint eligere confessorum.

SUMMARIUM.

- 1 Episcopus & alii Superiores & minores Praelati exempti possunt sine alia licentia sibi eligere Confessorem.
 - 2 Episcopi possunt sibi eligere Confessorem etiam exempti non sint.
 - 3 Praelatus inferior non exemptus, aut exemptus non Praelatus non gaudet privilegio sibi eligendi Confessorem.
 - 4 Rectores Ecclesiarum, item Scholares Episcopo vel ejus Penitentiario, aut Archiepiscopo civitatis confiteri debent.
 - 5 Episcopus an hodie possit eligere Confessorem sibi non subditum qui à proprio Ordinario non fuerit approbatus ad praescriptum Concilii Tridentini in cap. 15. sess. 23. & num. seq. usque ad n. 31. & n. 62.
 - 6 Confessor eligendus ex privilegio huius cap. debet esse habitus ad confessiones audiendas & n. 11.
 - 7 Impedimento uno ex duobus sublato actu expediri non potest.
 - 8 Sacerdos, ut valide à peccatis absolvat, debet non solum esse approbatus ab Ordinario, sed etiam habere jurisdictionem in poenitentem.
 - 9 Regulares habentes privilegium absolvendi alienos Parochianos an possint illos absolvere sine proprii Sacerdotis licentia & n. 28.
 - 10 Privilegium habens eligendi Confessorem, non potest eligere nisi eum, qui habet executionem & n. 53.
 - 11 Confessorem eligere est jurisdictionem prorogare.
 - 12 Sacerdos ab Ordinario non approbatus habet jurisdictionem habitus, sed non actu.
 - 13 Sacerdos de jure communi satis est ut habeat potestatem absolvendi habitus, ad hoc ut illius executio per electionem prorogetur; sed post Concilium Tridentinum.
 - 14 Episcopus eligendo Confessorem sibi subditum videtur illum approbare.
 - 15 Confessor electus in vim huius capituli aut censetur Ordinarius.
 - 16 Consecratio ac privilegium eligendi Sacerdotem non approbatam ad confessiones audiendas sublata sunt à Concilio Tridentino.
 - 17 Confessor eligendus in vim Bullae Cruciatae debet esse approbatus ab Ordinario ipsius Confessoris, licet in Bulla id non exprimitur.
 - 18 Confessio Sacramentalis an sit nulla, si fiat Sacerdoti in aliena Diocesi commoranti etiam hic approbato ab Ordinario.
 - 19 Praelati inferiores exempti an possint sibi eligere Confessorem ab Ordinario non approbatum.
 - 20 Es an possint approbare ad confessiones audiendas.
 - 21 Privilegium eligendi Confessorem quid operetur post Concilium Tridentinum & n. seqq.
 - 22 Sacerdotes saeculares non curati non possunt audire confessiones consuetum de alienis Diocesis etiam in Diocesi in qua sunt approbati & n. 27.
 - 23 Secus est in Regularibus seclusa fraude, n. 28.
 - 24 Parochus potest confessiones suorum Parochianorum ubique locorum audire, aliorum non potest etiam in propria Parochia, & num. 29.
 - 25 Confessor ab Episcopo electus potest illius confessiones audire etiam extra Diocesim Episcopi approbantis.
- 26 Sacerdotes non curati sive saeculares, sive regulares non possunt audire confessiones etiam subditorum Episcopi approbantis extra Diocesim in qua sunt approbati.
 - 27 Actus voluntariae jurisdictionis possunt etiam in alieno territorio exerceri.
 - 28 Episcopus iter agentem non debet eligere sibi Confessorem in singulis Diocesis, ibidem.
 - 29 Cardinales in vim huius cap. an possint sibi eligere Confessorem non curatum nec approbatum ab Ordinario juxta Concilium Tridentinum in cap. 15. sess. 23. & num. usque in finem.
 - 30 Cardinalis Episcopus, aut Legatus de latere indubie habet privilegium sibi eligendi Confessorem, ibidem.
 - 31 Privilegia non extenduntur de persona ad personam etiam ex majoritate rationis.
 - 32 Declaratur, num. 40. & 47.
 - 33 Praelatus quantumcumque maximus de jure communi non potest sibi eligere Confessorem.
 - 34 Episcopus de jure communi confiteri debet Archiepiscopo Archiepiscopus Patriarcha, Patriarcha Papa, & num. seq. & 39.
 - 35 Praelati exempti qui immediatè non subjacent Papa, non habent privilegium sibi eligendi Confessorem & n. 38.
 - 36 Cardinales non possunt recedere à curia sine licentia Papae.
 - 37 Tenentur residere in suis titulis.
 - 38 Privilegii causa cessante, cessat privilegium.
 - 39 Declaratur, num. 48.
 - 40 Cardinales de jure communi confiteri debent Papa vel majori ejus Penitentiario, & num. 50.
 - 41 Cardinales dignitate & officio sunt Superiores Episcopis.
 - 42 Praelatorum appellatio non Episcopi in suis titulis habent jurisdictionem quasi Episcopalem & minores Ordines conferunt; non tamen uti possunt facultatibus quae à Concilio Tridentino Episcopis tribuuntur.
 - 43 Cardinalis Regni Protector potest inquirere super qualitatibus promovendi & examen super aliquo articulo subdelegare. Sed processum Nunti praeveniens per se vel per alium impingere non potest, ibid. vers. Et per praedicta.
 - 44 Cardinales sunt Papa immediatè subiecti tanquam ipsorum iudices Ordinario, & n. seq.
 - 45 Familiares Cardinalium à solis Cardinalibus judicantur.
 - 46 Cardinales gaudent privilegio Altaris partotilis.
 - 47 Privilegium sibi eligendi Confessorem tanquam favorabile & nulli noxium, est latissime interpretandum.
 - 48 Privilegium eligendi Confessorem quam ob causam Episcopis & Praelatis exemptis concessum fuerit & n. seq.
 - 49 Causa in dubio an praesumatur finalis vel impulsiva.
 - 50 Privilegiatus an possit sibi eligere Confessorem non curatum nec approbatum ab Ordinario & n. 51.
 - 51 Sacerdotes simplices an habeant privilegium sibi eligendi Confessorem & n. 54.
 - 52 Cardinalium privilegia non comprehenduntur in generali privilegiorum derogatione.
 - 53 Contrarium num. 55.
 - 54 Declaratur, num. 57. & 60.

DE POENITENTIIS ET REMISSIONIBUS

Idem Innocentius III. in eodem Concilio Generali.

CAPUT XIV.

Um ex eo; & infra. Eleemosinarum quoque quæstores, quorum quidam se alios mentiendo, abusiones nonnullas in sua prædicatione proponunt, admitti (nisi Apostolicas vel Diocesani Episcopi litteras veras exhibeant) prohibemus; & tunc præter id, quod in ipsis continebitur litteris, nihil populo proponere permittitur. Formam verò, quam communiter talibus Apostolica Sedes indulget, duximus experimendam, ut secundum eam Diocesani Episcopi suas litteras moderentur: Ea siquidem talis est: Quoniam: (ut ait Apostolus) omnes stabimus ante tribunal Christi, recepturi prout in corpore gessimus, sive bonum fuerit, sive malum: oportet nos diem mellionis extremæ misericordiæ operibus prævenire; ac æternorum intuitu seminari in terris, quod reddente Domino cum multiplicato fructu recolligere debeamus in cælis: firmam spem, fiduciamque rectam tenentes: quoniam qui parè seminat, parè & metet: & qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet vitam æternam. Cùm igitur ad sustentationem fratrum & egenorum ad tale confluentiam hospitale, propriam non suppetant facultates, universitatem vestram monemus & exortamur in Domino, atque in remissionem vobis injungimus peccatorum, quatenus de bonis vobis à Deo collatis, pias eleemosinas & grata eis charitatis subsidia erogetis: ut per subventionem vestram ipsorum inopiæ consulatur; & vos per hæc bona & alia, quæ Domino inspirante feceritis, ad æterna possitis gaudia pervenire. Qui autem ad quærendas eleemosinas destinantur, modesti sint & discreti, nec in tabernis aut in aliis locis incongruis hospitentur, nec inutiles faciant aut sumptuosas expensas, caventes omninò ne falsæ Religionis habitum gestent. Ad hæc, quia per indiscretas & superfluas indulgentias, quas quidam Ecclesiarum Prælati facere non verentur; & claves Ecclesiæ contemnantur, & poenitentialis satisfactio enervatur: Decernimus, ut cum dedicatur basilica, non extendatur indulgentia ultra annum, sive ab uno solo, sive à pluribus Episcopis dedicetur: ac deinde in anniversario dedicationis tempore quadraginta dies de junctis poenitentiis indulta remissio non excedat; & infra. Hunc quoque dierum numerum indulgentiarum litteris præcipimus moderari, quæ pro quibuslibet casibus, aliquoties conceduntur: cùm Romanus Pontifex, qui plenitudinem obtinet potestatis, hoc in talibus moderamen consuevit observare.

SUMMARIUM.

- 1 Quæstores eleemosinarum sine Apostolicis vel Diocesani litteris admitti non debent & n. 4.
2 Et debent esse modesti & discreti; & à locis & expensis incongruis abstinere & n. 9.
3 Indulgentias Episcopi concedere non possunt in dedicatione Basilicæ ultra annum & in anniversario dedicationis & pro quibuslibet aliis casibus ultra quadraginta dies & n. 14.
4 Quæstores eleemosinarum indigent litteris Pape vel Episcopi, si eleemosinas quarunt nomine alieno, scilicet si proprio.
5 Quæstores non possunt pro eleemosinis colligendis aliud populo proponere vel prædicare quàm in eorum litteris continetur.
6 Et quid post Concilium Tridentinum n. 18. & 22.
7 Quæstorum abusus corrigere ad officium Episcoporum pertinet non obstante exemptione & n. 24.
8 Litterarum forma pro colligendis eleemosinis quæ uti solet Sedes Apostolica & secundum quam Episcopi debent suas litteras moderari, refertur in textu.
9 Beginarum siliarum hospitalia sunt quasi profutula à quibus modis omnibus est cavendum.
10 Indulgentia per Prælatos concedenda debet esse moderata &

- secundum quantitatem & qualitatem causæ.
11 Per indulgentias indiscretas & immoderatas, claves Ecclesiæ contemnantur; & poenitentialis satisfactio enervatur.
12 Indulgentia præsentem nedum in Purgatorio, sed etiam quoad poenitentiam hic injunctam.
13 Papa potest restringere potestatem Episcoporum in concedendis indulgentiis.
14 Indulgentia quæ ab Episcopis conceduntur ultra annum in dedicatione Ecclesiæ & ultra quadraginta dies in aliis casibus, sunt ipso jure nullæ in ea parte in qua excedunt.
15 Episcopi habent potestatem concedendi indulgentias à Papa, ipse verò à solo Deo.
16 Indulgentias ultra numerum dierum hic taxatum non prohibentur Episcopi concedere in foro poenitentiali.
17 Quæstores eleemosinarum, qui per se vel per alios prædicare præsumunt ab Ordinariis locorum sunt puniendi non obstantibus privilegiis; & n. 24.
18 Quæstorum nomen, atque aboleri jussit Concilium Tridentinum.
19 Indulgentia adhibitis duobus de Capitulo, debitis temporibus ab Episcopo sunt publicanda.

- Episcopi eleemosinas & oblata sibi charitatis subsidia colligere, nulli tamen mercede accepta, ibid.
1 Formula litterarum in S. Congregatione Concilii compilata ad colligendas eleemosinas pro hospitalibus acta hospitalitatem exercentibus refertur.
2 Eleemosinarum collectores hodie quas qualitates habere, & quæ observare debent in quærendis eleemosinis.
3 Campanella usus in eleemosinis colligendis soli Religioni Sancti Antonii à Sede Apostolica fuit concessus.
4 Eleemosinarum collectores non observantes leges sibi præscriptas publicè sunt puniendi & statim removendi ab Episcopo Diocesano.
5 Monachi Sancti Antonii non est prohibita à Concilio Tridentino eleemosinarum collectio, quam faciunt tempore æstatis.
6 Præbiteri non prohibentur à Concilio Tridentino accedere ad accipiendas primitias frugum, sive animalium.
7 Fratres Ordinis Mendicantium non prohibentur eleemosinas quærere & eorum nomine triticum & vinum tem-

- perare messium & vindemiarum & alias res colligere. Dammodo id non faciunt per alios, sed per se ipsos, n. 30. & n. 31.
8 Cruciatæ non obstant quominus Religioni S. Antonii liceat colligere eleemosinas formâ à Sacra Congregatione Concilii præscriptâ.
9 Indulgentias quæstuanâ facultatem quomodolibet continentes revocavit Pius V. pretextu indulgentiarum, & facultatum quæstus fieri prohibuit.
10 Eleemosinas colligere pro piorum locorum necessitatibus non est prohibitum.
11 Regulares quærentes eleemosinas extra Diocesim, in qua situm est Monasterium tenentur suorum superiorum licentiam Ordinario ostendere & illius consensum obtinere.
12 Episcopus potest tam in sua Diocesi quàm in aliena de Diocesani consensu per personas spectatas prohibitis, ac fidei eleemosinas quærere pro Ecclesiis & piis locis sue Diocesis.

Um ex eo. Eleemosinarum quætores sine Apostolicis vel Diocesani litteris admitti non debent, nec tunc proponant ultra id quod in ipsis litteris continetur. Hoc primò; & communis forma litterarum inseritur. Hoc secundò; & debent esse modesti & à locis & expensis incongruis abstinere. Hoc tertio; in dedicatione Basilicæ ultra annum & in anniversario dedicationis & in litteris indulgentiarum concessis ab alio quam à Papa, ultra 40. dies remissio excedere non debet. Hoc quarto; & sic patet quatuor esse partes principales; Secunda, hic, formam, Tertia hic, qui autem. Quarta hic, & hæc, Joan. Andr. cum quo cæteri concordant.

Nota primò hic, Apostolicas vel Diocesani litteras. Eleemosinarum quætores, quales sunt quætores hospitalium Sancti Antonii & Sancti Spiritus in Saxia & consimiles non esse admittendos, nisi litteras Apostolicas vel Episcopi Diocesani ostendant: & altera iuratum litterarum iusticiam, ut innotuit disjunctiva, vel cap. Inter ceteras supra de rescript. & cap. Inter alternatiis, de regul. juris lib. 6. sic cap. Excommunicamus, §. Quia verò nonnulli de heretic. secundum Host. hic n. 1. in verb. Nisi Apostolicas, & Joan. Andr. eodem n. & verb. & hoc verum secundum eos, si apparent litteræ non suspectæ, alias contra, ut cap. Quod super de fid. instrumentor. nec tales excusantur ab hac Constitutione ex eo, quod sint exempti ut in Clem. 2. de pœnit. & remiss. & hoc iusta de causa fuit constitutum, ut digresseretur an essent tales quales se afferunt. Per unquam enim contingebat, atque contingit, ut assumpto falsæ Religionis habitu, se fingant alios, quam sint, ut patet in textu hic, se alios mentiendo, necnon hic, ne falsæ religionis habitum gestent, & propterea antequam admittantur debent diligenter ab Episcopis examinari. Hoc tamen obtinet in his tantum quætoribus, qui eleemosinas quarunt nomine cuius hospitalis vel pii loci & sic nomine alieno; scilicet verò si proprio nomine pro seipsis eleemosinas quærerent, quia tales nullis indigent litteris, c. Quiescamus 42. dist. c. Non satis 82. dist. secundum Mar. Soc. hic n. 4.

Secundo nota ibi, præter id quod in ipsis continetur, tales quætores non possunt pro eleemosinis colligendis aliud populo proponere, vel prædicare, quam in eorum litteris continetur; quod providè sancitum fuit, quia tales consueverant multas proponere abusiones & mendacia; & plures illorum fraudes recitat Hostien. in cap. Cùm ex eo n. 11. supra de reliq. & venerat. SS. nam per unquam & vota commutabant & absoluebant à pœna, ut ibi per eum. Ad officium autem Prælatorum pertinet pravos illorum abusus corrigere, ne fidelis populus variis illorum signis & falsis documentis decipatur, ut habetur in d. c. Cùm ex eo, & excedentes, ab eisdem Prælati puniri possunt, non obstante exemptione, ut in d. Clem. 2. de pœnit. & remiss. ubi ratio subijcitur ut à suis temerariis ausibus, qui ubique (ut communis habet assertio) nimium exercebant pœnæ formidine propensius compescantur.

Quinto nota in verb. Ad hæc indulgentiam per Prælatum concedendam non debere esse indiscretam, sed moderatam & secundum quantitatem & qualitatem causæ; & signa rationem in textu expressam, quæ per indiscretas & immoderatas indulgentias claves Ecclesiæ contemnantur & poenitentialis satisfactio enervatur; & ex his ultimis verbis colligere singulariter secundum Mar. Soc. in 8. not. quod indulgentie profunt nedum in purgatorio, sed etiam quoad poenitentiam hic injunctam: quare si aliquis tenetur quinquidam diebus jejunare, habitâ super talibus indulgentiâ, non tenebitur secundum eum.

Ultimò nota hic decernimus, Papam posse restringere & moderari potestatem Episcoporum in concedendis indulgentiis prout hic fecit Innocentius III. in Concilio Generali restringendo eorum potestatem ad annum in dedicatione Basilicæ & ad quadraginta dies in anniversario dedicationis & in litteris indulgentiarum quæ conceduntur pro quibuslibet aliis casibus, id est piis causis, veluti pro adificatione vel reparatione Ecclesiarum vel sustentatione hospitalium & aliis similibus, concordat c. 15. fin. eod. tit. lib. 6. ubi indulgentie ab Episcopis concessæ ultra numerum hic taxatum irritæ decernuntur, scilicet in ea parte in qua excedunt, ut hic declarat glossa in verbo Non obtinent & glossa ultima hic in addit. & perpetuò commenda memorie rat onem quam reddit Innoc. hic n. 2. quia minores Prælati omnes habent hanc potestatem à Papa & ipse à solo Deo, c. Quamquam 21. dist. & c. 1. 22. dist. Item hoc potest Papa ratione Principatus & Jurisdictionis quam habet super omnes, c. In novo 21. dist. & hoc facit ex iusta causa, quia hac potestate abutebantur, ita formaliter Innoc. quem totidem verbis sequitur Joan. Andr. n. 13. & pondera has auctoritates contra eos qui contendunt Episcopos habere jurisdictionem immediatè à Deo; de quo articulo dic ut plene scripsi in c. 1. à num. 19. usque ad num. 55. supra de offic. Ordin. subdit tamen notabiliter Innoc. ubi supra, potestatem Episcoporum hic restrictam esse quoad illas tantum indulgentias, quæ sunt publicæ, sed non intelligitur restricta in foro poenitentiali quin Episcopus possit annos & dies prout vult indulgere, dummodo discretè faciat.

Quæro, an ea quæ disponuntur in hac Decretali circa eleemosinarum Quætores; & forma litterarum in eleemosinis quærendis sint correctæ, vel aliqua ex parte modificata ex jure novissimo Concilii Tridentini.

Solutio. Statuit Sacra Sinodus in c. ult. in fin. sess. 5. sub Paulo III. Quætores eleemosinarum qui etiam Quæstuarii vulgò dicuntur, nullo modo nec per se nec per alium prædicare præsumant; & contrafactores ab Episcopis & Ordinariis locorum, privilegiis quibuscumque non obstantibus, opportunis remediis omninò arceantur. Quod & prius interdixerat Urbanus IV. in Constit. 2. incip. Licet ex omnibus, §. 14. ut in Bullar. tom. 1. p. 96. & Clem. IV. in c. Ut officii, §. Compescentes, de heret. lib. 6. Deinde sub Pio IV. c. 9. sess. 21. statuit Concilium, ut Quæstorum nomen atque usus in quibuscumque Christianæ Religionis locis poenitentiæ aboleatur, nec ad officium hujusmodi exercendum ullatenus admittantur, quia remedia quæ statuta fuerant adversus pravos illorum abusus, tam in Concilio Lateranensi, ut in textu

Minus obstat, quod Cardinales non veniant in generali privilegiorum derogatione; siquidem contrariam sententiam eo quod generalis legis dispositio comprehendat non solum causas, sed etiam personas privilegiatas & Cardinalium prerogative, quamvis multum attendatur in honoribus deferendis; non tamen eximunt eos à vinculis sacrorum Canonum & Apostolicarum Constitutionum, ut per Sarnen. in *proem. regular. Cancell. quast. 4. num. 5.* ubi pluribus rationibus utrimque adductis concludit sententiam affirmativam esse firmiorem & veritatem, quam etiam pluribus fundamentis comprobatur Felin. in *dist. cap. Quod super his n. 12. vers. Et quando dicitur quod in lege, de fide instrum.* & idem ante ipsum scripserunt Archid. & Joan. Andr. in *c. Nemo deinceps, de elect. in 6. dum dixerunt illum textum in verb. Nemo, comprehendere etiam Cardinales, de quibus non oportuit fieri specialem mentionem cum indefinita æquipolletat universali, quod etiam tenet hic Gemin. & in *d. c. 1. de schismat. in 6. ubi* reprobata opinione Joan. Monachi dicit in hoc non esse illi credendum tanquam Cardinali, ut refert Felin. loco citato & pro hac parte sæpius judicavit Rota, ut testatur Sarnen. *dist. quast. 4. nam. 7.**

Inter fundamenta verò quibus hæc posterior sententia fulcitur, duo sunt præcipua. Alterum est, quod considerat hic Felin. quia alias sequeretur, ut ferè nulla lex canonica ligaret Cardinales, cum rarissimè de illis fiat mentio quod esset maxime absurdum, cum statuta Canonum ab omnibus sint custodienda, *cap. 1. de Const. & maxime ab eis qui in eminentiori gradu constituti reliquis inferioribus exemplo esse debent, c. Cum quidam, de jurjur. cap. Principium de panit. dist. 2. l. Presbyteri Cod. de Episc. & Cler. gloss. in c. 2. §. in. in verb. Tanquam, de translat. Episc.*

Alterum est fundamentum, quod adducit Sarnen. ubi *suprà*, quia etiam ipsa Augusta que aliquin irradiatur radiis Augusti & gaudet illius privilegiis ut in *l. Fiscus, §. fin. ff. de jure fisci*, & una & eadem caro cum Principe reputatur sub generali rerum vinculo comprehenditur, ut est textus notab. in *dist. 1. Princeps, ff. de legib. nisi specialiter exceptiatur in quibus terminis procedunt l. penult. Cod. de donat. inter vir. & uxor. & in l. Bene à Zenone Cod. de quadriem. præscript. quas in contrarium adducit Andr. Barbat. in *cap. In nosira, in 2. col. de rescript. ergo* idem dicendum in Cardinalibus licet eodem modo sint pars corporis Papæ, sicut Augusta Imperatoris; præsertim quia Cardinales nihil aliud sint quam Papæ Consiliarii, *c. Fundamenta, §. Decret. de elect. lib. 6. & c. In Parochia 16. qu. 1. cum concord. Item Patritii, Consules & Senatores, cap. Constitutus, 96. dist. c. Ecclesia, 16. qu. 1. Innoc. in c. Cam. 7. n. 1. de re judic. At nemo dixerit Senatores, aut Consiliarios legum vinculis non arctari, à quibus solus Princeps solutus dicitur in *d. l. Princeps, ff. de legib. qui tamen à naturali illarum ratione immunis non est ut l. Digna vos, Cod. eod. ubi Bald. in princ. ait* Principem non esse sub lege fori, sed tamen esse sub lege poli nature, rationis: de quo per Felin. in *c. 1. num. 31. & seqq. de Const.***

Sed quicquid sit de veritate harum opinionum, quas fœdere distinctionis nititur conciliare Sarnen. in *proem. reg. d. qu. num. 5. in fin.* quatenus pro regula admittenda sit opinio negativa; illa tamen communiter à Doctõribus limitatur, ut non procedat quando derogatoria dispositio respicit favorem publicum & animæ utilitatem vel periculum, quia tunc complectitur etiam Cardinales, ut tradit Præpos. in *c. Non licet, in princ. 10. dist. Bartholom. Belenzin. in tractat. de charit. subjid. qu. 66. num. 16. & 17. idque per viam regulæ tradit Joan. Monach. in Extravagan. Bonifacii VIII. quæ est prima in ordine suo, tit. de sent. excomm. in Extravagan. commun. glossatis per eundem in verb. Clericos, & sequitur Sarnen. in *proem. regul. qu. 4. na. 6. & in reg. de infirm. quast. 3. num. 4.* ubi testatur hanc videri communem resolutionem, sive de commodo, sive de præjudicio eorum agatur.*

Ratio est, quia in his quæ concernunt salutem animæ, Cardinalis non differt à quolibet populari, ut post Roman. & alios quos refert Belen. loco citato, & Sarnen. in *reg. de publ. res. qu. 13. num. 2.* ubi præterea tenet illam regulam comprehendere etiam Cardinales, cum sit fundata in bono animæ, ut fraudes & doli evitentur & idem censet quoad regulam de infirmis in *qu. 3. n. 3. at Concilium Tridentinum in dist. cap. 15. sess. 23. concernit publicum favorem & salutem animæ, dum committit Ordinaris cognitionem & approbationem Sacerdotum ad confessiones audiendas; ad D. Thom. in 4. dist. 17. qu. 3. art. 3. qu. 4. propterea videmus decretum Concilii generalis in *cap. Omnis utriusque supra rod. comprehendere etiam Cardinales, licet de illis mentionem non faciat per ea, quæ dicit Abb. in c. Omnes, de major. & obed. & in c. Novit. in 3. col. de judic. & firmat Sarnen. in *proem.***

d. qu. 4. num. 6. Et sanè nemo dixerit Cardinales non teneri semel in anno peccata sua confiteri & sacram Communionem suscipere eam sanctiores ceteris esse debeant, ut per Sarnen. in *reg. de impetr. benef. vren. qu. 6. n. 5.* Et quemadmodum Cardinales sunt subiecti peccato, quia nulla dignitas à peccato excusat, *c. Magna de voto: ita & juri tractanti de remissione peccati, ut in Papa arguit Anton. de Butr. in dist. c. Omnis utriusque, num. 28.* Ergo idem dicendum de Concilio Tridentino & eo magis, quia in *d. c. 15. sess. 23.* derogatur privilegii & consuetudinibus quibuscumque etiam immemorabilibus quæ tamen derogatio non legitur in *d. c. Omnis utriusque*, undè quatenus etiam hoc casu ageretur de dispositione penalis & odiosa, odio irrationabili & exorbitanti quo casu communis opinio videtur, ut non includat Cardinales secundum Sarnen. in *reg. de infirm. qu. 3. & 4. & in proemio qu. 4. n. 8. vers. Tertius casus;* tamen succederet doctrina Felin. in *c. Cum juris veritas, de offic. deleg. & in rubr. de major. & obed. ubi ait* defendi non posse opinionem illam, quod Cardinales non comprehendantur in dispositione generali habente clausulas prægnantes; cujus dictum refert & sequitur Sarnen. in *reg. de valore. qu. 1. num. 6.*

Similiter non obstat, quod verba Concilii sint directa 61 ad audientes confessiones non autem ad penitentes, quia confessor & penitens, item audire confessiones & confiteri sunt relativa; & ita decretum Concilii loquens de uno comprehendit aliud, nam lex corrigens in uno ex correlativis corrigit etiam in alio, *l. fin. ubi hoc tenent Bart. Angel. & Doct. Cod. de judic. viduit. tollen.*

Postremò jam Sacra Congregatio declaravit privilegium eligendi confessorem, quod competit Episcopis in viti hujus Decretalis non esse quidem à Concilio sublatum; sed tamen non posse sibi eligere Sacerdotem sibi non subditum, nisi aut parochiales beneficium habeat aut à suo Ordinario approbatus fuerit ad confessiones audiendas, ad præscriptum, *dist. c. 15. sess. 23.* idemque declaravit Gregorius XIII. audita relatione Congregationis; cujus resolutionis fundamenta habentur in præcedenti questione, à *num. 6. usque ad num. 30.* Ergo idem dicendum in Cardinalibus per ea quæ tradit Sarnen. in *reg. de valore. quast. 1. numer. 6.* Præsertim verò, quia in disputatione illius articuli multas rationes perpendit Sacra Congregatio quæ plurimum hanc sententiam confirmant.

Quod si obicias, si Cardinales in curia residentes tenentur confiteri Sacerdotibus approbatis, ergo nihil eis prodest privilegium contra *c. In his, de privileg. quæ Sacerdotibus approbatis omnis utriusque sexus in curia degens potest confiteri, juxta c. 15. sess. 23.* neque hac in parte est opus privilegio.

Respondetur privilegium prodesse Cardinalibus in quatuor. 64 Primò, quia possunt eligere alienum Sacerdotem Curatum quem circumscripto privilegio eligere non possunt, cum non sit proprius eorum Sacerdos, juxta *c. Omnis, supra eodem*, hic enim omnes notant & est ex mente Sacre Congregationis Parochum non posse audire confessiones alterius Parochiani sine proprii Sacerdotis licentia etiam infra limites propriæ Parochiæ, cum confessio sacramentalis sit actus judicialis, qui exerceri non potest in eum in quem Sacerdos ordinariam vel delegatam non habet jurisdictionem, ut est definitum, in *cap. 7. de cas. reservat. sess. 15. Concilii Tridentini.*

Secundò, quia stante privilegio Cardinales in urbe poterunt confiteri cuicumque Sacerdoti etiam extra urbem ab Ordinario loci approbato, cui sine privilegio confiteri non possent, cum Sacerdos sive secularis, sive regularis approbatus in una Diocesi non possit audire confessiones extra illam Diocesim, ut similiter aliis resolvit Sacra Congregatio.

Tertio prodest privilegium, qui Cardinalis extra curiam poterit secum ducere confessorem in urbe approbatum & illi confiteri in quacumque Diocesi, quod non liceret circumscripto privilegio, quia Sacerdos in una Diocesi approbatus ex sententia Sacre Congregationis non potest in alia Diocesi audire confessiones etiam personarum illius Diocesis in qua est approbatus, licet Parochus qui jurisdictionem habet ordinariam possit audire confessiones suorum Parochianorum in quacumque Diocesi.

Quarto & ultimo prodesse potest privilegium, quia 67 Cardinalis extra curiam poterit confiteri cuicumque Sacerdoti etiam seculari ab Ordinario loci approbato, aut hic Parochiale beneficium habenti, quod absque privilegio non liceret, quia quicquid sit in regularibus Sacerdos secularis in una Diocesi approbatus ex sententia interdem Sacre Congregationis non potest audire confessiones sibi non subditi, ut ostensum est supra in *1. casu.*

Neque in supra dictis quatuor casibus suffragatur quævis 68 contraria consuetudo, quia ut legitur in *cap. de panit. & remiss. lib. 6.* nulla potest consuetudine introduci, quod

aliquis præter sui Superioris licentiam confessorem sibi eligere valeat, qui eum possit solvere vel ligare; idque etiam si consuetudo sit longissimi temporis, ut hic per Joann. Andr. qui ad hoc ponderat illam dictionem universalem negativam, nulla: imò etiam si sit immemorabile secundum Gemin. *colum. 1. vers. Quarto circa secundam, & Franc. col. 1. num. 3. vers. Tertio nota*, atque in hoc majoris est potentia privilegii, quam consuetudo, ut hic per Fran.



DE SENTENTIA EXCOMMUNICATIONIS

Clemens III.

CAPUT XIV.

Um non ab homine: & infra. Consultationi tuæ taliter respondemus, quod à communi illius, qui pro sacrilega manuum injectione in Clericum, in edictum excommunicationis incidit, licet denuntiatus non sit, debes abstinere: nisi fortè id tibi soli pateret: in quo casu ipsum privatim tantummodò evitabis, quamdiù ab Ecclesia tolleratur; ut saltem verecundè rubore suffusus, pro latenti excessu satis. facere compellatur. In articulo verò secundæ quæstionis respondemus, quod occisores Clericorum aut Presbyterorum, qui contempto Clericali habitu tyrannidi & enormitati se in verecundè immiscerent, in odium clericalis excessus, & terrorem atque correctionem similibus, Canone latæ sententiæ minimè coërentur: injungatur tamen eis penitentia competens, aliquantulum asperior, quam si in laicos talia commississent.

SUMMARIUM.

Excommunicatus pro violenta manuum injectione, in Clericos ante denunciationem vitandus est, nisi sit occultus. Excommunicatus non est interficiens Clericum qui contempto Clericali habitu se enormitatibus immiscuit.

Um non ab homine. Ante denunciationem vitandus est excommunicatus pro violenta manuum injectione in Clericos, nisi sit occultus. Hoc primò. Interficiens Clericum qui contempto Clericali habitu se enormitatibus immiscuit, excommunicatus non est. Hoc dicit secundò Joan. Andr. Quoad primam partem Decretalis hodiæ ex Constitutione Martini V. in Concilio Constantiensi edita, quæ incipit *Ad vitanda.* Excommunicati ante denunciationem non sunt vi-



DE SENTENTIA EXCOMMUNICATIONIS

Idem Clemens III.

CAPUT XVII

Pervenit ad nos: & infra. De his absolvendis, qui Clericis non enormem, sed modicam & levem injuriam irrogarunt, tuæ fraternitatis arbitrio duximus committendum.

SUMMARIUM.

- 1. Episcopus non potest absolvere eum qui leviter percussit Clericum sine speciali commissione, juxta unum intellectum & n. seqq.
- 2. Qui reprobat n. 4. & seqq.
- 3. Episcopus absolvit pro levisima injuria Clerico illata.
- 4. Lectura fugienda sunt per quas Decretales reducuntur ad gratiam.
- 5. Dispositio respiciens duo determinabilia debet utrumque pariformiter determinare.
- 6. Dicitur etiam est implicativa casus precedentis cum eisdem qualitatibus.
- 7. Excommunicati pro levi manu iniectione in Clericum possunt per Episcopum absolvi.
- 8. Excommunicati ob percussione Clericorum, quibus casibus per Episcopum absolvi possint, compendiosa distinctio.
- 9. Prælati inferior habens jurisdictionem quasi Episcopalem, an possit absolvere subditos ab excommunicatione ob levi-

- 10. Clerici percussione & n. seqq. usque in fin.
- 11. Absolutio ab excommunicatione ob levi Clerici percussione regulariter spectat ad solum Episcopum.
- 12. Declaratur.
- 13. Prælati inferioribus habentibus jura Episcopalia, competant ea omnia que ad Episcopalem jurisdictionem pertinent.
- 14. Prælati inferior habent jura Episcopalia, potest absolvi ab excommunicatione Canonis, quando Canon non reservat.
- 15. Canones loquentes de Episcopis & Diocesanis, verificantur etiam in inferioribus habentibus jurisdictionem quasi Episcopalem in his que jurisdictionis sunt.
- 16. Vicarius Episcopi & Vicarius Capituli, Sede vacante, absolvent ab excommunicatione Canonis, si levis sit percussio.

Pervenit. Plures habet intellectus. Quidam enim opinati sunt quod hic dicitur de absolute ob levi manu iniectionem in Clericum, vendicare sibi locum ex speciali gratia & indulgentia; & in hac opinione fuerunt Vincentius, Alanus, Philippus, Tancredus & Innoc. hic n. 1. & Abb. antiq. n. 1. & 2. ponderantes hanc litteram hic tua fraternitatis arbitrio, duximus committendam: quasi dicat non alterius nisi & specialiter ei committeretur; & pro hac opinione facit textus in c. si verb. in secundo infra eod. ubi in casu speciali absolvit Episcopus, quando injuria non est enormis. Ad idem etiam facit c. Quoniam, supra de vita & honest. Cleric. ubi ex privilegio speciali Clerici communiter viventes absolvantur ab Episcopo, si injuria non est enormis; si est speciale in his casibus, ergo in contrarium est jus commune, l. Jus singulare & l. quod verò contra, ff. de Leg. & juxta hunc intellectum Decretalis sic sumari potest. Episcopus potest absolvi injuriam manus in Clericum leviter, si hoc sibi specialiter committatur.

casus precedentis cum ejusdem qualitatibus, ut notant omnes in l. Etiam, ff. solut. Matrim. c. si tutor vel curator & in l. Qui se patris, c. Unde liber. Dec. conf. 17. Quæstio ista n. 9. lib. 1. Communis ergo lectura est hanc Decretalem continere jus commune, ut attestatur Abb. hic in princ. & Mar. Soc. n. 4. & juxta hanc lecturam communiter sic sumatur. Excommunicati pro levi manu iniectione in Clericum possunt per Episcopum absolvi. Hoc dicit Joan. Andr. Burr. Card. Anchar. Abb. Joan. de Anan. Mar. Soc. & Felin. & tenent Lopus alleg. 76. Quidam præbiter. Roman. singul. 16. Card. conf. 42. Reverendissime Pater super casu scripto; & passim Doctores; & hic intellectus est amplectendus, tum quia benignior est, tum quia continet aliquam dubitationem & utilius providet; tum quia confutendo eum approbavit, ut hic per Abbatem, numero 1. & Marianum Socinum, num. 3. 6. & 7.

Goffredus verò in summa hoc tit. §. Qui possit ab hac in 2. col. & seq. distinguit in hæc verba. (Ut Decretalis hæc sanè intelligatur: puta inter personarum conditionem injuriamque gravem, leviem & levisimam arbitrio boni viri fore perspicaciter distinguendum.) Deinde unumquodque membrum declarat, concludens hanc litteram non intelligi de gravi percussione, cum illam excludat; si de levi intelligatur, procedit de gratia & commissione speciali, juxta primam opinionem Vincentii & sequacium; si verò intelligatur de levisima: tunc omnino continet jus commune, facit textus in l. Item apud Laborem, §. Prætor ait si quis alius, ff. de injur. ubi cavetur ut qui percussit servum leviter vel maledicere, non teneatur injuriam. Et hanc G. freddi distinctionem in effectu approbat Holt. hic in princ. & latius in summa hujus tit. §. Qui possit ab hac sententia absolvi, ver. Sed ut dicunt quidam, nisi quod de secundo membro de levi percussione excludit personas privilegiatas quas Episcopus potest absolvi de jure communi, ut notat ibidem Holt. in §. Qui possit excommunicare, ver. super illo autem Canone; & juxta hanc distinctionem Goffredi & Holt. intelligendo hanc litteram de levisima Decretalis summatur sic. Pro levisima injuria Clerico illata absolvit Episcopus.

Non obstant allegata in contrarium pro prima opinione, nam ad hunc textum, dum dicit: duximus committendum, potest responderi, scilicet de jure communi jurisdictionem suam excitando, ut c. Licet, supra de offic. Ordin. Ad secundum argumentum desumptum ex Juribus supra citatis n. 2. Responderi potest, distinguendo tres casus secundum Joan. Andr. hic n. 3. ver. & ad contrarium solutionem; nam aut injuria est levis & pro ista absolvit Episcopus de jure communi ut hic; aut injuria est mediocris & ab illa non potest absolvi Episcopus nisi privilegiato, ut Officium, Officialem, servum, Clericum, communiter viventes & Professor; & ita procedunt, c. si verò & c. Quoniam in contrarium allegata & alia similia jura. Aut injuria est gravi seu enormis; & Episcopus sine speciali commissione non absolvit nisi eos qui Papam non possunt adire, ut senes & mulieres, pueros, valetudinarios & hujusmodi de quibus hic integra & in cap. Ba noscitur, cap. Mulieres supra eodem; & infra, cap. Quomodo & cap. fin. & hanc distinctionem Joan. Andr. sequitur hic Abbas n. 2. Mar. Soc. & num. 7. & communiter Doctores.

Verum prædictos intellectus merito refellit Joan. Andr. hic n. 3. ver. Et hic consuetudo, nam tu qui dicis Episcopum in levisima tantum posse absolvi: indica jus super hoc, sed non habes aliud quam istud quod de levi loquitur; aut ergo neget de qualibet: aut de levi concedat. Item fugiende sunt lecture per quas reducuntur Decretales ad gratiam, ut inquit idem Joan. Andr. in c. Ex parte Adæ, n. 19. de test. quem sequuntur Doctores, ut dicit Felin. hic in fine. Et sanè si hæc Decretalis procederet de speciali commissione, nec egredere-tur personam illius Episcopi cui facta fuit commissio, ut quid occuparet membranas & ad quid inserta esset in volumine Decretalium contra id quod legitur & notatur supra in proce-mo, §. Sanè & in c. Canonum Statuta, de Constit. Pro hac parte inducitur etiam integra relata ab Anton. Augull. collect. 2. Decretal. lib. 5. tit. 18. c. 6. In cujus principio cautum erat, ut Episcopi possent liberè absolvi mulieres, senes & pueros qui in Canonem incidere: postea sequebatur. De his etiam qui Clerici non enormem, sed modicam vel leviem injuriam irrogant, tua fraternitatis arbitrio duximus committendam. Quæ si dicat: sicut illis poterat Episcopus jure ordinario & communi absolutionis beneficium impendere; ita & in istis, quia ubi una dispositio respicit duo determinabilia, debet utrumque pariformiter determinare, l. Jam hoc jure, §. si autem & hic Bar. n. 1. ff. de vulg. & pupil. cum similit. præsertim ponderando particulam etiam que est implicativa

Nunc quæro, an Prælati inferior habens jurisdictionem 10 quasi Episcopalem possit absolvi subditos ab excommunicatione, ob leviem Clerici percussione.

Et si facultas absolvendi ab excommunicatione Canonis si quis suadente, ubi levis est percussio, solis Episcopis competat, non autem inferioribus Prælati per hanc Decretalem que dirigitur duntaxat Episcopo, ut patet hic fraternitatis tue juncto c. Quam gravi, supra de crim. fals. & hic notat Abb. n. 2. in verbo Fraternitatis tue & Mar. Soc. n. 8. Felin. in c. Pastoralis c. 10. ver. Limita hanc primam fallentiam, de offic. Ord. Toler. in summa lib. 1. c. 32. Hoc tamen non habet locum in Prælati jura Episcopalia habentibus, ut declarat Abbas in c. Monachi sub n. 3. ver. Hoc verum supra eodem poss. Feder. de Senis conf. 14. Monachus Perlinus num. 4. ver. si tamen dicitur Abbas quos refert & sequitur Franc. in c. Religiofo in ult. not. ver. Et ita determinat, de sent. excom. lib. 6. Felin. qui alios plures allegat in d. c. Monachi n. 4. ver. primo limita. Tabien. in summa, ver. absolutio n. num. 4.

Ratio est, quia inferioribus Prælati habentibus jura Episcopalia competunt ea omnia que ad Episcopalem jurisdictionem pertinent: licet non competant ea que Ordinis sunt Episcopalia, gloss. in clem. 1. in verbo proprii, §. de reb. Eccl'es. non alien. Innoc. relatus a Card. in c. ex ore in fin. de privi. & in c. At si Clerici, §. De adulter. n. 13. de jud. Feder. de Sen. d. conf. 14. n. 4. Abb. in c. sicut unum, n. 3. ver. Et circa hoc de regulam, de excessi. Prælat. & idem Abb. post Joan. Andr. in c. Joannes n. 2. de testam. gloss. pragm. Sanct. par. 2. tit. de concub. §. Et nihilominus, ver. Superiores & absolutio

- 42. Reverende Pater, n. 3. in fin. ergo hæc facultas competit etiam inferioribus jurisdictionem quasi Episcopalem habentibus; ideoque eos posse indistinctè absolvi excommunicationem, scripsit Calderin. conf. 538. aliis 6. de sent. excom.
- 43. Neque obstat quod Clemens III. in hoc cap. rescribat Episcopo hic tua fraternitatis in arbitrio duximus committendum, cum inferiores ab Episcopo Papa non appellat fratres sicut Episcopos, sed filios, ut in d. c. Quam grave, de crim. fals. & quod præterea Silvest. in verb. absolutio n. 5. dixerit hanc facultatem non competere Abbati jurisdictionem quasi Episcopalem habenti, eâ ratione, quia non est Episcopus. Respondetur enim etiam Canones loquantur de Episcopis & Diocesanis: tamen in his que jurisdictionis sunt, verificari etiam in inferioribus Prælati jurisdictionem Episcopalem habentibus, exclusis Episcopis, ut tradit glossa notab. in clement. 2. in verbo Diocesanis, de foro competent. quam illic sequuntur communiter Doctores, Rota dec. 297. in fin. par. 2. dicitur.

jurisdictioni relinquuntur; & sic Concilium loquitur taxativè & tamen per ea verba non excluduntur inferiores Prælati, proprium territorium & jurisdictionem quasi Episcopalem habentes, ut similiter Sacra Congregatio declaravit.

Et eodem modo inferiores Prælati jurisdictionem ordinariam habentes ex sententia ipsius Congregationis non excluduntur à cognitione causarum contra Clericos concubinarios, quamvis Concilium in c. 14. sess. 25. decernat ut illarum cognitio ad Episcopos ipsos pertineat, ponderando dictionem ipsos, que cum sit personalissima, habet vim taxativè, Bald. conf. 304. Nobilis vir, n. 1. lib. 5. Quod eam præcipue habet rationem, quia hujusmodi Prælati in his que sunt jurisdictionis similes sunt Episcopis, Abbas & Doctores in c. Dilectis de appellat. & alii supra citati n. 13. Dicitur autem taxativè in dispositione legis non includit causas similes & eandem rationem habentes, gloss. in l. Ob as, c. de præd. Minor. Abb. conf. 62. Ut veritas, col. penult. in fin. ver. Nec obstat, lib. 2. Jaf. in l. 1. ver. secundò limita, ff. si qui jus dicenti non obtemper.

Et in hac ipsa materia absolutionis ob leviem percussione videmus absolvi facultatem competere etiam Vicario Episcopi, secundum Card. d. conf. 42. n. 3. ver. vel ejus Vicarii Generalis. Et tamen idem Vicarius non est Episcopus: licet utriusque sit idem Tribunal & Auditorium, cap. Non putamus, de consuet. lib. 6. Gemin. conf. 114. §. Procurator Episcopi n. 5. in fin. ver. non obstat ratio. Abb. conf. 21. viso dubio n. 2. lib. 1.

Similiter videmus eandem facultatem competere Vicario Capitulari per glossam in c. an. in verbo Juris de major. & obed. lib. 6. & tamen nec ipse est Episcopus, sed Episcopi successor in his que jurisdictionis sunt, ut per Doctores in d. c. unico.

DE SENTENTIA EXCOMMUNICATIONIS

Idem Clemens III.

CAPUT XXI.

A Nobis fuit ex parte tua quæsitum, utrum si quis ita pronuntiaverit; Quisquis furtum fecerit, excommunicatus sit: hæc generalis clausula ad ipsius excommunicatoris subditos referatur, an generaliter extendatur ad omnes, qui non sunt de jurisdictione illius? Ad quod dicimus, quod hæc sententia non nisi subditi obligantur: nisi forte plus contulerit major, & largior autoritas delegantis.

SUMMARIUM.

- 1. Excommunicatio generalis non ligat nisi subditos profertentis.
- 2. Verba generalia statuentis, vel sententiam profertentis restringuntur ad limites potestatis sue.
- 3. Dispositio generalis commensuratur agentis potestati.
- 4. Verborum larga prolatio commensuratur organizantis potentie.
- 5. Exercentium non excedit metas habitus, à quo ut à causa dependet exercitii vires.
- 6. Statutum laicorum puniens declinantes jurisdictionem potestatis ad Clericos non extenditur.
- 7. Statutum laicorum prohibens alienationem stabulium in non subditos, non includit Clericos.
- 8. Statutum imponens penam excommunicationis an liget subditos delinquentes extra territorium statuentis.
- 9. Statutum est lex territorii.
- 10. Constitutio synodalis regni Polonia inhabilitant dimissos à Societate Jesu ad Prælaturas, & Canonicatus Cathedralium Ecclesiarum, an obset quominus sic dimissus possit esse Episcopi suffraganeus & n. seqq. usque ad num. 22.
- 11. Synodus provincialis non potest inhabilitare subditos ad Fagnan. in V. Lib. Decretal.

- Episcopus in partibus infidelium.
- 12. Statutum non porrigit vires extra territorium statuentis.
- 13. Synodus provincialis statuta non obligant extra provinciam.
- 14. Episcopus clero, & populo carentes sunt ad liberam provisionem Papæ.
- 15. Ejesi extra Religionem degentes sunt perpetuo suspensi ab exercitio Ordinum.
- 16. Societatis Jesu Religiosi, qui vota substantialia simplicia emiserunt, non comprehenduntur in decretis de apostatis, & excommunicatis.
- 17. Possunt à Societate dimitti à Præposito Generali, & sic dimissi non sunt apostata, & sunt liberi ab omni obligatione dictorum votorum.
- 18. Statuta laicorum quantumvis generalia non extenduntur ad Ecclesias & personas Ecclesiasticas.
- 19. Statutum excludens à minoribus dignitatibus, multò magis censetur excludere à majoribus.
- 20. Nisi quoad majores sit defectus in potestate.
- 21. Suffraganeatus non est Prælatura, sed Officium.
- 22. Statutum imponens certam penam, puta excommunicationis, an liget forenses delinquentem in territorio statuentis, distinguitur ut n. seqq. usque ad n. 45.